



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Summae seu Manualis Doct. Navarri

**Ávila, Esteban de
Azpilcueta, Martín de**

Lvgdvni, 1609

Charitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41656

CHARITAS.

CHARITATIS amor non est necesse
vt sit summus intensiue; sed sufficit vt sit
summus appretiatiue. cap. i. num. 9. cap. 11.
n. 5. in Nouo. c. i. nu. 4. c. 11. n. 6.

Charitas non obligat dare centum aureos
dicenti quod aliâs occidet se. Prælud. 7. n. 12.

Charitatis actus aliquâdo delet peccatum
mortale. cap. i. num. 10. Nouo num. 5.

Peccatum est diligere Deum minus, vel
æquè, quàm creaturas. c. 11. n. 8. & No. n. 10.

B Præceptum diligendi Deum, est omnium
maximum. Quod quidem tunc adimpletur,
quando homo diligit Deum propter seipsum,
& plusquam cætera omnia appretiatiue, ita
vt Deum præferat cunâs rebus, & propter
nullam eum offendat. cap. 11. n. 5. & No. n. 6.

C Charitas non obligat, vt cum primùm ho-
mo peruenerit ad vium rationis, se conuer-
tat ad Deum tanquam ad vltimum finem:
obligat tamen, vt saltem in confuso, iuxta
capacitatem illius ætatis. cap. 11. num. 7.
Nouo num. 8.

D Secundò, obligat quoties obligat præce-
ptum charitatis. Tertiò, quâdo quis adul-
tus recipit baptismum, & antea non habuit
contritionem. Quartò, quotiescumque te-
nemur diligere proximû ex charitate: quo-
niam

niam in amore proximi includitur amor Dei, tanquam finis. Præterea qui diligit Deum, credens probabiliter se esse in statu gratiæ, quamuis re ipsa non sit, impleuit hoc præceptum, quoad effectum euitandi nouum peccatum. num. 7. in Nouo num. 8. 9. 10.

Vnde potest hoc præceptum adimpleri quoad substantiam ab existente in mortali. cap. 11. num. 11. & 13. in fine. & c. 14. nu. 9. in No. c. 11. n. 10. 17. & c. 14. num. 9.

Præceptum charitatis aliquando obligat minùs principaliter ad diligendum Deum dilectione naturali. cap. 11. num. 8. Nouo numer. 10.

Deus diligendus est super omnia appreciatiuè. n. 6. & in No. num. 5.

Audiens aliquem blasphemantem, tenetur non solum illum corripere, sed etiam habere actum dilectionis in Deum. num. 8. Nouo num. 10.

Diligere Deum cõparatiuè minùs quàm F creaturas, vel æqualiter, est peccatum mort. At verò diligere eum æquè, vel minùs, vel absolutè absque comparatione, non est malum. c. 11. n. 8. & 14. No. num. 8. 10.

Diligere indirectè creaturam, plus quàm Deum, non est directè contra hoc præceptum, de diligendo Deum. num. 15. Nouo num. 19.

Dilige

Diligere aliquam creaturā firmiūs quā Deum, peccatum est mortale. ibidem Diligere Deum principaliter propter præmium, peccatum est mortale. num. 16. No-uo 20.

G Proximi amor est duplex, supernaturalis & humanus, qui in amorem concupiscentiæ vel amicitiae subdiuiditur. cap. 14. num. 6.

Præceptum diligendi proximum, obligat ad numquam excipiendum eum ab amore generali charitatis, ad diligendum inimicum veniam poscentem, & ad ostendendum illi signa amoris saltem naturalis. num. 9. vel quando indiget auxiliij nostri ad salutem animæ. num. 9. & 23.

H Præceptum diligendi proximum, potest impleri per se, loquendo extra statum gratiæ. num. 9.

Homo tenetur proximum existentem in periculo damni notabilis liberare, si potest, absque proprio incommodo. num. 10.

I Charitas non obligat, vt quis remittat offensori supplicium, vel vindictam faciendam per iudicem. Imò aliqui non possunt id facere etiam si velint: quales sunt vxor, filius familias nondum emancipatus, seruus, & religiosus. num. 25.

Nec obligat alloqui offensorem, nec ostendere signa amoris, nisi tempore necessitatis.

fitatis. Nec etiam satisficientem tenetur
admittere in pristinā familiaritatem. Quan-
do autem mutuò sese offendunt duo, si vera-
que offensio est æqualis, qui prius offendit,
debet prius petere reconciliationem. Si ve-
rò posterior iniuria sit grauior, posterior te-
netur prius petere. cap. 14. num. 25.

Peccat mortaliter, qui cum possit, non
impedit ne alius peccet mort. num. 26. & 31.
Coroll. 6. lit. D & cap. 24. num. 23. in Nouo
cap. 14. num. 27. 37. & cap. 24. num. 23. & in
hoc compendio, tit. Impedimentum.

Quando autem proximus non peccat ex
ignorantia, vel ex fragilitate, tunc non tene-
tur impedire peccatum, cum incommodo
proprio. num. 27. & in Nouo num. 27. M

Non peccat qui permittit aliquod gra-
uius peccatum, ut ob illud castigatus faci-
lius se corrigat ab illo, & ab alio minori.
ibidem.

Qui autem suo consilio, fauore, vel ope,
fuit alij causa peccandi mortaliter, peccat
etiam ipse mortaliter. num. 27. No. num. 28.

Non peccat mortaliter quicumque ab
alio petit aliquid, credens petitionem suam
futuram alteri occasionem peccandi mort.
nisi cum petit absque iusta causa. ibidem.

Non est contra charitatē, optare morbum, N
seu mortem alicuius propter bonum eius
spiri

spirituale. cap. 15. num. 10. Nec tyranno, vel inimicis Ecclesiæ, quando aliud non esset remedium. ibidem. & cap. 20. num. 3. No. cap. 20. num. 23.

Sola violatio charitatis non obligat ad restitutionem, etiam si alterum damnificet. cap. 17. num. 11. peccat non defendens proximum cum possit. cap. 24. num. 17.

Peccat qui videns aliquem ignoranter ementem rem vitiosam, non monet illum. cap. 24. num. 21.

Peccat mortal. qui proximum volentem se precipitare, non retinet, cum possit, & qui non extrahit etiam inuitum è domo iam iam ruente. cap. 24. num. 23.

Tenemur ad impedienda mala proximi, etiam illa, quæ ille vitare potest, si vult, modo non possit illis iustè consentire, vt præcipitium, suspendiũ, renurus cibi vel medicinæ ad vitam necessariæ. ibidem circa medium.

CHOREA, vide Spectaculum.

CHRISMA, vide tit. Baptismus V. & tit. Confirmatio.

CIRCVMSTANTIA.

A **CIRCVMSTANTIA** est quoddam accidens actus humani, qui est peccatum. c. 6. 1. Est autem circumstantia sextuplex, scilicet *Quis, Quid, Vbi, Quibus auxiliis, Cur, Quo modo,*